

Gratia adoptionis si consideretur absolutè sicut ad omnes personas referatur: si autem consideratur ut quoddam donum sic specialiter competit Spiritui Sancto, qui procedit ut amor, & ut primum donum; & per hoc potest patere solutio ad argumentum quartum de Charitate, & de amore, quia procedit ex eadem radice, & ex eadem vi cum tertio.

Ad tertium dicendum, quod si considereremus ipsam rem, quae est gratia, ut est quoddam donum datum gratis, & per amorem, potest appropriare, & specialiter competere Spiritui Sancto, qui procedit ut amor, & ut primum donum; & per hoc potest patere solutio ad argumentum quartum de Charitate, & de amore, quia procedit ex eadem radice, & ex eadem vi cum tertio.

DISTINCTIONIS X.

Partis Secundæ Principalis.

QV AEST I O S E C V N D A

De adoptione quantum ad adoptatos.



N hac quæstione sunt tres Articuli.

Primus. Vtrum omnibus creaturis competit adoptari.

Secundus. Vtrum Angelis conueniat in filios adoptari.

Tertius. Vtrum Christus debeat dici Filius Dei adoptivus.

ARTIC. I.

Vtrum omnibus creaturis competit adoptari. Conclusio est negativa.

D.Thom.3.p.q.23.art.3. Caiet.Sil.Med.Cabr.Aluar. Suar.Ibid. Ragusa 3.p.tom.2.disp.17.



ECVND O quæritur de adoptione quantum ad adoptatos, cui competit adoptari, & videtur, quod competit omnibus creaturis. Nam Deus dicitur pater noster, quia creat nos, iux-

PARS II.

A ta illud Deuter. 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui creauit te.* Sed hoc modo est pater omnium creaturarum: ergo &c. Deut.32.

Præterea. Hoc modo Deus creat quamlibet creaturam, prout ex mera liberalitate communicat ei sua bona: sed hoc est aliquem extraneum adoptare ex mera liberalitate sibi communicare sua bona: ergo &c.

Præterea. Ex ipsa creatione Deus imprimis homini imaginem suam, secundum quam dicitur homo esse Filius Dei: sed non aliter adoptatur, etiam loquendo de B homine puro, nisi prout fit Filius Dei: ergo &c.

IN CONTRARIUM est: quia non sumus filii Dei adoptivi, nisi per Spiritum Sanctum; verum ratione creationis non datur nobis Spiritus Sanctus, sed ratione collationis gratiae; non ergo cui libet creaturæ competit adoptari, quia non quælibet creatura est susceptiva Spiritus Sancti.

Præterea. Non possunt adoptari in filios, nisi qui sunt creati ad imaginem, sed non in omni creatura inuenitur imago Dei: quia in creaturis irrationalibus, & multò magis in creaturis insensibilibus non inuenitur imago, sed solum vestigium Dei: ergo &c.

RESOLVTIO.

Creaturæ irrationali non competit adoptari, quia Dei filiatio eis competere non potest, non enim ad imaginem Dei sunt factæ, neque gratiae adoptionis sunt capaces.

RESPONDEO, quod dum D quæritur, Vtrum omnibus creaturis competit adoptari, dici debet, quod non potest adoptari in filium, nisi is, cui potest competere esse filium, sed infima filiatio est in illis creaturis, quæ sunt ad imaginem Dei. Huiusmodi autem creaturæ sunt solum Angelus, & homo. Nam de nulla creatura corporali dictum est, quod Deus fecit eam ad imaginem suam, nisi de homine, iuxta illud Gen.cap.1. *Facias hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* & sequitur, & præstis pīscibus maris, &c. quasi dicat, quia homo Gen.1.1.

mo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quod non habet esse nisi per intellectum, & rationem, ideo dignum est ut præsit omnibus corporalibus creaturis. Homo ergo est in hoc honore, & in hac præsidentia per intellectum. Et ideo si ab intellectu deficiat verificabitur de eo illud

Psal. 43. Ps. Homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis, &c. Illi ergo tres modi filiationis superius tacti, quod Deus est Pater noster creatione quantum ad animam, factione quantum ad corpus, actione quantum ad utrumque, possunt, & debent reduci ad unum modum. Nam non est Pater noster creatione, factione, & possessione, nisi quia in nobis est imago, & similitudo eius, non autem est sic imago in alijs creaturis corporalibus, & ideo in praefato Cantico, cum prius dixisset Moyses: *Nonne ipse est pater tuus, qui creauit, fecit, & possedit te,* postea omnia ista reduxit ad unum, dicens: *Deum qui te genuit, dereliquisti.* Omnes ergo creaturas alias corporales Deus creauit, sed hominem dicitur specialiter genuisse.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod creaturæ procedentes à Deo

Creaturae à Deo procedentes sunt in quadruplici genere. Nam cùm dā, proprie loquendo, non sunt filii, nec hæredes, & istæ sunt omnes creaturæ infra hominem, vbi sunt quasi infinitæ species, & infinita genera. etenim sub homine sunt omnia genera volatilium, piscium, bestiarum, & reptilium, vegetabilium, & inanimatorum. Talia autem non possunt dici filii Dei, sed vestigia Dei. Relucet enim in eis similitudo Dei, quasi in infinito gradu. & ideo dicuntur vestigia Dei, & propter eorum infinitatem dicitur in-

Iob. cap. 11. *Forsttan vestigia Dei comprehendes?* infimus ergo gradus filiationis diuinæ in natura imaginis, vel in imagine naturaliter initiatu*r*; sed secundus gradus in gratia perficitur: tertius & ultimus gradus in gratia consumatur.

Secundum ergo primum gradum homo, vel Angelus potest dici filius Dei, quia est ad imaginem Dei factus, sed quantum ad secundum gradum, quando haec filatio est perfecta per gratiam, tunc homo, vel Angelus, non solum potest dici filius Dei, sed etiam Dei hæres. Igitur verba Apostoli ad Rom. 8, *Si autem filij,*

*Primus gradus diuinæ filiationis in imagine naturaliter initiatu*r*. Secundus in gratia perficitur. Tertius in gratia consumatur.*

Rom. 8. 22.

A & hæredes, non debet intelligi de filiatione initia*t*a per naturam, secundum quam sumus ad imaginem Dei: sed de filiatione perfecta per gratiam adoptionis, se-

Hæreditas diuina non debetur Angelis, nec hominibus per naturam, sed per gratiam.

cundum quam sumus filii Dei adoptiui, & hæredes Dei: ergo secundum filiationem imaginis, per naturam initiatam, sumus filii Dei, sed non hæredes, quia hæreditas diuina non debetur nobis, nec Angelis per naturam, sed per gratiam. Quia si debetur nobis, vel Angelis per naturam, nunquam aliquis homo, vel Angelus suis est dñnatus; per gratiam igitur adoptionis sumus filii Dei, in qua quis decedens nunquam damnatur. Benè ergo dictū est, quod primò per naturam filiatione, qua sumus ad imaginem Dei creati, initiatu*r*; secundò per gratiam adoptionis huiusmodi filiatione perficitur, & tertio per gloriam consumatur, & satiatur, iuxta illud *Psal. 10. Satiabor cum apparuerit gloria tua, in qua videtur verificari dictum Augustini, dicentis in pluribus locis, præsertim in 1. de Trin. Vido est tota merces.*

Psal. 10.

Quod si de Tri. 1. 6. absolutè, & simpliciter concederemus, essemus nobis ipsis contrarij, quia alibi

In 1. sententia diff. x.

cognitione, vel in aperta visione, sed in fruitione, & amore, possumus perfectam felicitatem nostram: nam hoc est frui, secundum Augustinum. amore inhærente alicui rei propter se. Tamen quia sunt substantia dicta Sancti Augustini. Dicemus, quod visio est tota merces consequutiue, quia ad illam visionem apertam de necessitate consequitur tota merces, videlicet tota satietas nostra, iuxta illud Psalm. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* & tota fruitio, & tota inhæsio amoris nostri.

Viso dicitur totam merces consequentiue.

Nam non potest esse, quod homo videat aperte tantum bonū, quantum est Deus, & non feratur omnino per dilectionem, & per amorem in tantum bonum. Dato tamen per impossibile, quod homo videaret aperte tantum bonum, & non diligeret ipsum, non esset felix, sed miser, non esset satiatus, sed euacuatus, & vulgariter dicitur cum quis videt rem, quam non diligit, quod oculos suos odit videndo illam. Nulli ergo dubium est, quod in visione illa aperta erit tota merces consequutiue, quia non posset esse illa aperta visio, sine satietate voluntatis, & sine sum-

Psal. 15.

Nō erimus
beati, do-
gēc dicā-
mus, satis
cō.

summa dilectione, & inhæsione per amo-
rem, quia non erimus beati, secundum
Augustinum, donec dicamus satis est. In
ipsa ergo satietate, & inhæsione per amo-
rem consistit principaliter felicitas, vel
beatitudo nostra.

Ad id ergo quod principaliter quę-
rebatur, Vtrum omnibus creaturis com-
petat adoptari, patet solutio per iam di-
cta. Nam non competit adoptari in filium
nisi cui potest competere esse filius. cum
ergo creaturæ irrationali non facit ad
imaginem Dei, non possit competere esse
filium, nec esse susceptiuum gratiæ ado-
ptionis, non potest ei competere adoptari
in filium.

A per enim homo dum est viator, pertrau-
sit, & percurrit tempus suum in imagine,
quia semper manet imago Dei in ipso.
Dato, quod frustra turbetur, idest peccet:
hoc ergo verificatur, dum sumus in via,
sed post mortem, si decedamus sine gra-
tia, verificabitur illud Psalmi: *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Nam secun-
dum Aug. Ex hoc anima est imago Dei,
quod eius capax, & particeps esse potest:
ad nihilum ergo reducitur imago in ani-
ma post mortem hominis, si homo ille
decedat sine gratia, quia amplius anima
illa capax Dei, eius particeps esse non
potest.

RESP. AD ARGVM.

Ad hoc vt
creatura
possit ado-
ptari, non
sufficit,
vt sit a
Deo per
creationē,
sed requiri-
tur vt sit ad
imaginē d
naturaliter
facta.

Ad primum dicendum, quod et si om-
ni creaturæ competit creari, & esse per
creationem à Deo, soli tamen creaturæ
rationali, vel intellectuali, competit di-
uinæ filiatio, quia sola talis creatura facta
est per intellectum, & rationem ad imagi-
nem, & similitudinem Dei. Nam, vt di-
ctum est, in alijs creaturis intellectu, &
ratione carentibus, non potest inueniri
imago Dei per naturam, vel similitudo
Dei per gratiam, sed solum reperitur in-
eis quasi quoddam vestigium.

Comunica-
tiō quorū
que bonorū
non sufficiet
ad adoptio-
nē: sed re-
quirit di-
uinā hæ-
reditas, & bea-
titudo.

Ad secundum dicendum, quod com-
municatio quorumcunque bonorum non
sufficit ad adoptionem filiationis, sed
oportet, vt communicetur tali creatu-
ræ, sic adoptatæ in filium, hæreditas, &
beatitudo diuina. Nam de omnibus ado-
ptatis in filios verificatur illud Apostoli:
Si filij, & hæredes, quod creaturæ irra-
tionali non potest competere, vt sit suscep-
tiua gratiæ adoptionis, & quod possit
esse particeps fruitionis diuinæ, & beatit-
udinis, & hæreditatis eius.

Ad adoptio-
nē nō suf-
ficit imago,
sed requiri-
tur grata,
qua perfec-
tio natura,
& facit fi-
lium Dei.

Psal. 38.

Ad tertium dicendum, quod ex ip-
sa creatione imprimitur homini, vt sit
imago Dei, sed non imprimitur ei ex hoc,
vt sit hæres Dei, quia hæreditas Dei
non competit homini per naturam secun-
dum se, sed vt est perfecta per gratiam,
& ex hoc potest patere veritas Psalmi,
cum dicitur: *In imaginem pertransit ho-
mo, sed frustra cōturbatur*, quod verifica-
bitur de homine, quamdiu est in via: sem-

C

*Utrum Angelis conueniat adoptari in
filios. Conclusio est af-
firmativa.*



E C V N D O queritur,
Vtrum ipsis Angelis hoc
conueniat. Et videtur,
quod non: quia eis, qui
sunt in domo Patrisfami-
lias, non propriè competit
adoptari, sed hoc competit extraneis, qui
ex gratia in ipsam domum introducun-
tur; sed Angeli semper fuerunt in domo
Patrisfamilias, quia semper fuerunt in
cœlo empyreo: ergo &c.

D Præterea. Secundum aliquos Angeli
fuerunt creati in gratia: ergo secundum
eos ex ipsa creatione fuerunt filij per gra-
tiam; nunquam ergo fuerunt, nisi filij,
talibus autem, vt videtur, non competit
adoptari: ergo &c.

Præterea, vt potest patere ex littera,
homines quia nascuntur natura filij ire:
ideo ex gratia fuerunt filij Dei, vel filij
adoptiui: sed Angeli nunquam fuerunt
filii ire: ergo &c.

I N C O N T R A R I V M est: quia
Spiritus Sanctus datur hominibus, ideo
dicuntur filii adoptiui: cum ergo hoc
competat Angelis, quod ipsis Angelis sint
susceptiui gratiæ Spiritus Sancti: ergo &c.

Præterea. Secundum Augustinum 12.
de

de Ciu. Dei. cap. 1. *Homines beati sociabuntur Angelis, & facient unam, & eandem Ciuitatem cum Angelis*: sed hoc non est per naturam, sed per gratiam adoptionis: ergo &c.

RESOLV TIO.

Angelis, & hominibus competit adoptari, quia hæreditatis eternæ dicuntur capaces, & non sunt Dei filij per naturam, sed per gratiam.

RESPONDEO, quod cum tam Angelus, quam homo facti sint ad imaginem Dei, oportet, ut tam Angelus, quam anima rationalis possint esse participes, & capaces Dei, & quia omnes tales possunt adoptari in filios Dei, ideo tam Angelo, quam anima rationali, vel tam Angelo, quam homini per animam rationalem competit adoptari in filium Dei.

Propter argumenta tamen sciendum, est, quod adoptatio nihil aliud est, quam suscipere gratiam adoptionis. Soli ergo illi repugnat esse filium adoptuum, qui est filius naturalis, in hominibus enim nunquam aliquis adoptat sibi in filium eum, qui est filius naturalis, sed solum eum, qui est extraneus, & qui per naturam non habet ius in hæreditate, sed hoc habet per gratiam adoptionis, quia gratiosè Pater, ad quem spectat ius hæreditatis, sibi eum adoptauit in filium: Solum ergo hoc requiritur per se quantum ad Dei Filios adoptuos, vt non per naturam, sed per gratiam adoptionis fiat quis particeps beatitudinis, & hæreditatis diuinæ. Quod ergo homines prius sint filii iræ per naturam corruptam in Adam, & postea sint filii adoptui per gratiam, hoc accidit adoptioni, quia si Adam non peccasset, non genuisset filios cum originali peccato, sed cum originali iustitia. Acceperat enim Adam à Deo, non tanquam singularis persona, sed tanquam caput omnium nostrum, quodam donum, quod vocabatur originalis iustitia, per quod donum quandiu mens, vel ratio ipsius Adæ fuisset subiecta Deo suo superiori omnia inferiora fuissent subiecta sibi, idest rationi, tanquam suo superiori, ideo dicitur de Adam, quod non poterat peccare venialiter, nisi prius

Norandum pro solutione argumentorum.

Ad adoptio nem per se requiritur, vt adoptio dūs non sit heres per naturam.

Si Adæ no n peccasset, genuisset filios cū ori ginali iustitia.

Adæ nō po terat pecca re veniali ter, nisi pri us peccasset mortaliter.

Aeg id. super iij. Sent,

A peccasset mortaliter. Nam nisi prius mens vel ratio se auertisset à Deo, quod non poterat fieri, nisi per peccatum mortale, vires inferiores nunquam rebellassent rationi, per quarum rebellionem committitur peccatum veniale. Nam hoc est peccatum veniale, quando ratione non consentiente oritur inordinatio in inferioribus viribus. Et ideo cum tentamur secundum inferiores vires, non consentiente ratione, sed dissentiente, & contradicente, debemus tentationem illam ad gaudiū referre: Quia si est ibi aliqualiter demeritum: longe magis est de prouentu, & merito, iuxta illud Iacobi: *Omne gaudium existimare fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Illud autem donū dicebatur iustitia, & dicebatur originalis. Dicebatur iustitia, quia iustum, & equum est, vt semper inferiora sint subdita superioribus. dicebatur originalis, quia per originem transfudisset illud donū in omnes suos posteros: sed Adam peccante, & ex hoc illud donum perdente, nō transfudit illud donum, scilicet originalem iustitiam in suos posteros, sed originale peccatum, quod est parentia originalis iustitiae cum debito habendi eam. *Diximus ergo, quod hoc requiritur solum, vt aliquis non per naturam, sed per gratiam adoptionis fiat Dei filius:* sed sicut potest contingere, & contingit in Christo ex nimia sua excellentia, quod nō dicatur Dei filius adoptius, quia est eius filius naturalis, vel si est Dei Filius per gratiam in quantum homo, hoc non est per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis, quia humanitas illa, per quam Dei Filius naturalis est homo, assumpta est in unitatem personæ Dei Filij. Est ergo in Christo ex sua excellentia, quod non debetur dici Dei Filius adoptius, sed Dei Filius per naturam. Et si in quantum homo, est Dei Filius per gratiam, vt iam diximus, hoc non erit per gratiam adoptionis, sed unionis, vt in sequenti questione diffusius dicetur: Verum sicut Christus ex nimia excellentia non debet dici filius adoptius, sic omnes irrationalis creaturæ, siue sint sensibiles, siue insensibiles ex nimia infinitate non possunt esse filii Dei adoptui, quia non sunt ad imaginem Dei: sed sunt quedam vestigia Dei. Et ideo, quia parentia

veniale peccatum quando per eā facimus committatur.

Tentatio quando per eā facimus prouentum. 1. Iac. c. 2.

Iustitia ori ginalis quo re ita sit di ca.

Quid si peccatum non originale.

Quod Christus non dicitur Dei Filius adoptius, sed proprius ei us excellentiam.

Creaturae irrationali, ex nimia infinitate non possunt in filios adoptari.

O o mente,

mente, & ratione filij adoptiui Dei, & participes hæreditatis, & beatitudinis Dei esse non possunt. Cùm ergo non solum homines, sed etiam Angeli, & multè magis quam homines, possint esse, & sint participes hæreditatis, & beatitudinis diuinæ, clarissimum est, quod non solum homines, sed etiam Angeli dici debent filij adoptiui Dei.

RESP. AD ARGUMENTA.

Domus Dei duplex, Cœlum Empyreum, & diuinam beatitudinem : licet Angeli fuerint in illa, tamen non semper fuerint in illa

Ad primum dicendum, quod domus Dei, in qua inducuntur filij adoptiui, non debet dici Cœlum Empyreum tantum, vt communiter dicitur, & benè: sed ipsa beatitudo diuina, secundum quam Deus in seipso quiescit, & facit alios in seipso quietescere. In hac autem domo, non semper fuerunt Angeli. Nam et si aliqui asserant forte minus rationabiliter, quod Angeli fuerunt creati in gratia, nulli tamen fuerunt tantæ dementiæ, vt dicerent ipsos fuisse creatos beatos.

statu dicta opinione, negatur, cōsequientia, quia et si nō tempore, saltem natura & origine Angelii prius fuisse nō filij, quā filij.

Ad secundum dicendum, dato, quod vera esset illa opinio, quod Angeli fuisse creati in gratia, adhuc non concluderet argumentum, quia et si non tempore natura in eis præcessisset gratiam, præcessisset tamen eam origine naturali. Fuisse ergo Angeli secundum intellectum, & origine naturali, prius non filij per gratiam, quam filij. Hoc ergo modo ab ipso principio creationis Angelorum, naturæ eorum superadditur gratia, & hoc modo sicut filij adoptiui. Nobis tamen magis placet opinio communis, quod non fuerunt creati in gratia. Sed cùm dixit Deus, fiat lux, & facta est, hoc fuit Angelus supposita gratia, per quam Angeli facti sunt lucidi, & mali per peccatum facti sunt tenebrosi. Cùm ergo Deus lucem corporalem diuisit à tenebris corporalibus, & diuisit lucem spiritualem, idest Angelos beatos à malis; vna diuisio figurauit aliam, & quia omnia in figura contingebant illis, & quia populus erat rudis, figuratiue per lucem, & tenebras corporales docebat eos Moyses de luce, & tenebris spiritualibus.

Aliquæ adop- prius iræ fi- lii, est per accidens.

Ad tertium patet solutio per iam dicta, quia accidit hoc adoptioni per gratiam, quod adoptatus sit prius natura filius iræ,

PARS II.

A quia si non peccasset Adam, potuissimus adipisci gratiam, & tamen non fuisset in natura filij iræ. Arguunt tamen aliqui, Obit &c. quod Angeli non possunt esse filij adoptiui, quia ad eos non fuit facta missio in carnem, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 2. Nequaquam Angelos, sed semen Abrabæ Heb.c.a. apprehendit. Sed ad hoc responderi potest, quod licet ad Angelos non fuerit facta missio in carnem, fuit tamen ad eos facta missio Filij in mentem. Et hoc sufficit ad hoc, quod possint Angeli esse filij Dei adoptiui.

ARTIC. III.

Vtrum Christus debeat dici filius adoptius. Conclusio est ne-

gativa.

D. Thom. 3.p.q.23.art.4. Caiet. Silu. Medina. Argent. 3.fent.d.9.& 10.q.1.art.3. Aluar. ad 3.p. q.23. disp. 75D.Bon. in 3.fent.d.10.art.2.q.1. Rada 3.p.contr. cont. 5.art. 2. Scotus in 3.d.10. q.1. Ricchar. ibid. Dur.q.2. Fauent. in 3. sent. d 10. q.vnica disp.23. Rag.ad 3.p.tom.2.disp.28.29 & 30. Cabr.ad 3.p.q. 23. art.4.disp.1.& 2. Valsquez ad 3.p. q. 23. tom.1. disp.89. Val.ad 3.p. q.23.tom.4.punct.1. Suar.ad 3. p. tom.1. disp.49.sec.2.

 E R T I O queritur, Vtrum Christus debeat dici filius adoptius, & videtur, quod sic, quia secundum Hilarium, locutus de Christo: Po- lib. 2. de Trin. & in- dio. testati dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur.

Præterea. Videtur, quod nullum inconveniens sequatur, si Christus dicatur filius adoptius. nam propter hoc non sequitur, quod Christus aliquando fuerit filius iræ, vel quod Christus aliquando fuerit non filius, quia de Angelis dici potest, vt patuit, quod sint filij adoptiui, cum nunquam fuerint filij iræ, sicut etiam secundum ponentes eos fuisse creatos in gratia, nunquam fuerunt Angeli, non filij: ergo &c.

Præterea. Illi sunt filij adoptiui, super quos requiescit Spiritus Sanctus, sed potissimum hoc fuit in Christo; iuxta illud Isa. 11. Et requiesceret super eum spiritus Domini, spiritus Sapientiae, &c. ps. 9. u.

Præ-

Præterea. Christus secundum quod homo est seruus: sed dignius est esse filium adoptiuum, quam seruum: ergo multo magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptiuus.

D. P. Aug. in lib. de praedest. Sanctorum: *Ea gratia quicunque homo ab initio factus est Christianus, qua gratia Christus factus est homo: sed homo ab initio factus est Christianus gratia adoptionis: ergo &c.*

I N C O N T R A R I V M est quod supra diximus de D. Ambrosio, qui voluit, & reuoluit totam Scripturam, & nunquam inuenit Christum filium adoptiuum.

Præterea. Christus est Dei Filius naturalis, quia est ex natura Deus, ex Patre prodiens: sed filio naturali non debetur hæreditas per gratiam, sicut debetur filio adoptiuo: ergo &c.

R E S O L V T I O .

Christus est Dei Filius, non per gratiam adoptionis, quia non est Deus adoptiuus, sed Deus verus: Dicitur autem Dei Filius per gratiam unionis, quia ut homo, personæ diuini Verbi fuit unitus.

Glossa super illud ad Philip. c. 2.
D hunc tertium Articulum, in quo quo queritur, Vtrum Christus debeat dici Dei Filius adoptiuus. Respondet Glossa super illo verbo ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus Patri obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vbi cum primò assignasset ad expositionem prælatorum verborum, dicta August. & Ambrosij, postea ad concordiam reducens eos, ait præfata Glossa: Cae qualiter intelligas virorum Illustrium Ambrosij, & Augustini vera premissa, ne sibi contraria putentur; postea subdit: Scito ergo quod est donatio naturalis, & est donatio gratuita, naturali donatione dedit Pater nomen, quod est super omne nomen, Deo Filio, non homini, id est Christo, secundum quod Deus: non secundum quod homo, nec fuit aliud dare, quam sibi aequalē generare, gratuita vero donatione dedit homini Christo, non Deo, quia Christus, non in quantum Aegid. super iij. Sent.*

A Deus, sed in quantum homo, per gratiam accepit nomen Dei, nec per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis, vt non sit Christus adoptiuus Deus, sed Deus verus, cui flectitur omne genu. Ex his autem verbis Glossæ clarà patet solutio ad quæstionem quæritam, cum quæritur, Vtrum Christus dici debeat Dei Filius adoptiuus. Nam cum Christus negetur Dei Filius per gratiam adoptionis, & cum concedatur Dei Filius per gratiam unionis. Christus ut homo non adoptatus à Deo, sed unitus personæ Verbi, qui est verus Deus, dictus est Dei Filius, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis.

B Christus dicitur Dei Filius non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis.

Christus ergo ut homo, id est quantum ad hominem, unitus est ipsi personæ Verbi, quæ non est Deus adoptiuus, sed Deus verus, & per naturam, non per gratiam, ei ergo flectitur omne genu, *Celestium*, quantum ad Angelos bonos, & beatos: *terrestrium* quantum ad homines viatores, & *inferorum* quantum ad damnatos: omnes enim sciant, & cognoscunt, quod illi homini per humanitatem unita Verbo, & hoc modo sublimatam per Verbum, donatum est nomen per tales unitam, quod est super omne nomen, scilicet nomen Deitatis. Specialiter ergo posuit exemplum de genuflexione, quia non aliter genuflectitur Regi, & purpure, quia induitus est Rex, sic non aliter genuflectitur, & honoratur Deus Verbum, & humanitas, quia est induitus Deus Verbum, immò lögè plus debet honorari humanitas, quia induitus est Deus Verbum per comparationem ad honorem exhibitu Deo, quam purpure, quia induitus est Rex, per comparationem ad honorem debitum Regi: quia purpura,

D qua induitus est Rex, non propter hoc est assumpta in unitate personæ Regis, sed sic est induitus Deus Verbum humanitate, ut humanitas illa assumpta sit in unitate personæ Verbi. Rursus aliquando Rex exutus est purpura, quia exutus, non debetur purpure honor Regis, nec genuflexio Regia. Nā cū non est Rex induitus, nullus genuflectetur illi purpure, ut alias superius diximus: sed humanitas Christi etiam quando partes humanitatis fuerunt separatae ab inuisi- cem, ut in morte Christi, quando anima- fuit separata à carnē, Dei Filius semper fuit coniunctus utriusque, tam animę, se-

Quomodo nomini Christi fleatur omne genu.

Eadē adora- tione ado- ratur Ver- bum, & hu- manitas as- sumpta.

Dicitur. 9. per- totam.

cundum quam descendit ad inferna, quam A carnis, secundum quam iacuit in sepulchro. Debetur ergo humanitati Christi semper honor diuinus, tanquam indumento Dei, quo indumento nunquam exuit se Deus. Nam postquam assumpsit, nonquam dimisit, & nunquam se exuit.

Gratia ergo fuit, quod assumpsit humanitatem, sed non fuit gratia adoptionis, ut ex hoc esset secundum quod homo, Dei Filius adoptivus, vel Deus adoptivus, sed Dei Filius naturalis, & Deus naturalis.

RESP. AD ARGVM.

Authoritas
D. Hilarii
est intelligenda per similitudinem, non per proprietatem. Vel de adoptione Christi in membris, non in corporibus.

Ad primum dicendum, quod illa gratia unionis aliquam similitudinem habet cum gratia adoptionis, quia sicut nullis precedentibus meritis, sed mera gratia, nos adoptat in suos filios; sic nullis precedentibus meritis in illa humanitate Deus illam sibi vniuit, & factus est homo, propter quam similitudinem forte Hilarius humanitatem vnitam Deo per gratiam unionis vocavit adoptatam, cum congruentibus posset dici non adoptata per gratiam, sed unita per gratiam unionis. Vel potest dici, quod Hilarius non loquitur de adoptione in Christo capite, sed in membris, de quibus nullum dubium est, quod membra Christi, id est boni homines Christiani sunt Dei filii adoptivi.

Negatur argumentum cōsequētia, & adprobatio nem negatur exemplū Angelis, quia dato etiam quod Angeli sunt creati in gratia, ad huc prius natura, & intellectu intelliguntur non filii quam filii adoptivi.

Ad secundum dicendum, quod hoc inconveniens sequeretur, si Christus ponetur Dei Filius adoptivus, quia cum filiatio non competit naturae, sed supposito: humanitas enim non dicitur filius, sed suppositum ut homo; cum in Christo non sit nisi unum suppositum secundum opinionem secundam, quae sola est vera, & Catholica inter illas tres positiones superpositas. Natura ergo, vel intellectu, hac hypothesis stante, illud suppositum Christi, quod est suppositum diuinum, aliquando fuisset non filius, vel non haeres, quod est falsum. Nam Angeli, dato, quod fuerint creati in gratia, natura, vel intellectu, fuerunt prius non filii adoptivi, & per gratiam additam naturae fuerunt facti filii adoptivi.

Ad tertium dicendum, quod non est simile de alijs hominibus, & de Christo,

quia alij homines per spiritum inhabitantem in eis per gratiam acquirunt sibi de nouo ius in hereditate diuina, sed Christus, qui est Dei Filius naturalis, per natum habet ius in huiusmodi hereditate, nec additur ei de nouo tale ius per habitantem spiritum.

Non valeat similitudo de alijs puris hominibus, & de Christo, quia illipotest inhabitare spiritum ac acquirunt ius in hereditate diuina, Christus ne quaquam, quia habet tale ius per naturam.

Ad quartum dicendum, quod seruus importat subiectionem tantum, quam ob rem hoc posset concludere argumentum quod Christus in eo quod homo, & ut accipiens formam servi, esset minor Patre, id autem posset concedi secundum quod Christus est homo, iuxta illud: *Pater maior me est*: quatenus enim Christus est homo, Pater est maior eo, secundum Hilarium, sed ipse non est minor Patre. Nam cum Pater sit ingenitus, & non habeat Deitatem ab alio, sed sit fontana Deitatis, hoc est magna dignitatis in Patre. Propter quod potest dici maior Filio, sed Filius ex hoc non debet dici minor Patre, quia licet hoc sit dignitatis in Patre, non est tamen indignitatis in Filio, sed proprietatis. Et quia sic est dignitatis in Patre esse ingenitum, & non habere Deitatem ab alio, quod non est indignitatis in Filio, sed proprietatis: sic Filius in eo quod Deus, non est minor Patre, sed aequalis Patri, cum sit unus Deus cum ipso. Christus ergo in eo quod homo non solum est minor Patre, sed etiam potest dici vacuus respectu Patris, iuxta illud Apostoli: *Ex inaniuit*, id est euacuavit *semetipsum*, non formam Deitatis perdens, secundum quam est aequalis Patri, sed formam servi accipiens, secundum quam est minor, & quasi vacuus respectu Patris.

Ad quintum dicendum, quod locus D. Augustini intelligitur de similitudine quantum ad principium, non autem quantum ad terminum, quia sicut quilibet purus homo habuit gratiam sine meritis precedentibus, ita hic homo sine meritis habuit ut esset Christus, tamen non sic est respectu termini, quia Christus per gratiam unionis, est filius naturalis, alij autem homines per gratiam habitualiter sunt filii adoptivi, quem effectum non fecit gratia habitualis in Christo, cui ex naturali filiatione debebatur hereditas æterna.

DISTINCTIONIS X.

Pars Tertia Principalis

De prædestinatione Christi.

QVAESTIO VNICA.



POSTE A quæritur de tertio principali, videlicet de prædestinatione, quantum ad Christum. Circa quod quæruntur duo.

Primo. Vtrum hæc sit concedenda, Christus secundum quod homo, prædestinatus est esse Filius Dei.

Secundo quæritur de prædestinatione Christi. Vtrum talis prædestinatio sit accipienda quantum ad naturam, vel quantum ad personam, vel quantum ad vtrumque.

ARTIC. I.

Vtrum Christus secundum quod homo, sit prædestinatus. Conclusio est affirmativa.

D.Thom.3.p.q.24.art.2.Caiet. Silu. Medina. Argent. 3.fent.d.9.& 10.q.1.ar.4.Scotus in 3.d.7.q.3.Mayr. ibid.D.Bon.in 3.fent.d.7.art.2.q.3. Aluar. ad 3.p. q.24.disp.76. Fauent. in 3. fent. d 7. q.3. disp. 19. Rag.ad 3.p.tom.2.disp.31.C.abr.ad 3.p.q.24.art.2. disp.vnica.Va squez ad 3.p.q.24. tom.1. disp.90. & 91.Val.ad 3.p.q.24.tom.4 punct.2.Suar.ad 3.p.10. 2.disp.50.per totam.



D primum sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundum quod homo, non sit prædestinatus. Nam, quod competit alii cui homini in eo quod homo, illud competit cuilibet homini; sed esse prædestinatum non competit cuilibet homini; ergo &c.

Aegid.super iij.Sent.

A Præterea. Effectus prædestinationis conformat se ipsi prædestinationi: si ergo Christus in eo quod homo esset prædestinatus esse Filius Dei: ergo vel esset prædestinatio falsa, vel oporteret, quod ista propositio esset vera. Christus in eo quod homo, est Filius Dei, sed hoc est falsum, quia Christus in eo quod homo est filius hominis, & in eo quod Deus est Filius Dei: ergo &c.

B Præterea. Damascenus lib.3.cap.2.ait: *Non dicimus hominem deificatum, sed Deum humanatum: sed esse prædestinatum cadit sub factione, & competit ei esse quid factum, & esse quid temporale: si ergo Christus secundum quod homo esset prædestinatus, vt esset Filius Dei, vel vt esset Deus, ita verificaretur, quod homo ille esset Deificatus, & esset factus Deus, sicut verificatur, quod est humanatus, & est factus homo, quod videtur Damascenus negare.*

C IN CONTRARIUM est, ad Roman. 1. de Christo: *Prædestinatus est esse Filius Dei.* sed cum Christus non sit nisi Deus, & homo: si prædestinatus est esse Filius Dei, aut competit ei in quantum Deus, aut in eo quod homo, non in eo quod Deus, quia secundum Glossam super hoc loco epist. ad Roman. *Prædestinatus est, &c. De eo, quod est semper, non potest esse prædestinatio.* Cum ergo hæc fuerit semper vera. Christus in eo, quod Deus est Filius Dei: non potest hoc cadere sub prædestinatione; ergo Christus in eo quod Deus, non est prædestinatus esse Filius Dei: ergo est sic prædestinatus in eo quod homo.

D Præterea. Prædestinatio non est, nisi quoddam diuinum propositum, non de rebus aternis, sed de rebus temporalibus: verum nihil est temporale in Christo in eo quod Deus, sed solum in eo quod homo: ergo &c.

RESOLVATIO.

Supposito, quod ly homo sit pro natura humana, Christus secundum quod homo est prædestinatus: quia prædestinatio est de re temporali, & in Christo nihil est temporale secundum quod Deus, sed tantum secundum quod homo.

O Q. 3 RE-

Gloss. super
Epist. ad
Roman.

Opinio
Thom.

RES POND E O dicendum, quod A Scripta communia hanc quæstionem sic explicant, vt semper prædestinatio importet antecessionem, in quo verum dicunt, & habent pro se Glossam ad Rom. 10. vbi dicitur: *De eo, quod est semper, prædestinatio esse non potest.* Procedunt autem ulterius Scripta communia, quod si prædestinatio importat semper antecessionem, ergo semper quantum est de se, includit quandam factionem, quia omne quod est, postquam non fuit, dicitur esse factum. In tantum ergo aliquis dicitur esse prædestinatus, in quantum est præuisus à Deo fieri Beatus: ergo quoddam fieri, & quandam factionem importat prædestinatio: sed fieri, & factio semper sunt respectu termini, & semper competunt ei, quod non est actu tale, & ideo non fit album, quod est actu album, sed quod est albabile, & potentia album. Terminus autem prædestinationis Christi est gratia vnionis cum Deo. Nam Christus est Filius Dei, non per gratiam adoptionis, vt dictum est, sed per gratiam vnionis. Concludunt ergo Scripta communia, quod cùm prædestinatio semper includat factionem, & quoddam fieri, & quod non fit, non est, & ita hæc est vera: Christus secundum quod homo est prædestinatus; & tamen hæc est falsa: Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Deus.

Contra præ
fatam op.
nionem.Ad Röm.
cap. I.

Sed hæc verba sunt multum intricata, & videntur discordare à verbis Apostoli ad Roman. cap. I. qui cùm prius dixisset: *Ante promiserat per Prophetas suos de Filiῳ suo, quod factus est ex semine David, secundum carnem,* idest, factus est homo. Postea subdit: *qui, idest, qui homo, prædestinatus est esse Filius Dei in virtute,* idest in illa eadem virtute, & potentia, quam habet Pater: Si ergo Christus homo prædestinatus est esse Filius Dei, non adoptiuè, sed in virtute, idest in illa eadem virtute, & potentia, quam habet Pater. cùm talis sit verus Deus, quia non potest habere illam eandem virtutem, & potentiam cum Patre, nisi esset unus, & verus Deus cum Patre, illud quod Scripta communia negant, quod hæc est falsa, Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, & quod

Quod habet
esse, postno
dum dicitur
factum.Prædestina
tio impor
tat quandā
factionem.Terminus
prædestina
tionis Christi
est gra
tia vnionis
cum Deo.

Scripta communia dicunt, hanc esse falsam, Christus secundum quod homo, est Deus. Dici debet, quod est vt sic, & est vt non. Nam in Christo est vnum tantum suppositum, in quo sunt hec duæ naturæ, diuina, & humana. Cùm ergo dicitur, quod Christus, in quantum homo, vel secundum quod homo, est Deus, ly homo, vel potest stare pro natura, vel pro supposito: si stat pro natura, sic est falsa, quod Christus secundum quod homo, idest secundum quod habet naturam humanam, est Deus, quia secundum quod habet naturam humanam, est Deus, & homo, & non Deus tantum: sicut secundum quod habet naturam diuinam est Deus, & non homo: sed si ly, secundum, reduplicet suppositum ipsum, cùm idem sit suppositum, quod est Deus, & homo, & quod habet utramque naturam, diuinam, & humanam, si ly homo stat pro supposito, sic est vera, quod Christus secundum quod homo, est Deus, & è conuerso, quia est suppositum, quod est simul Deus, & homo, & hoc modo, ratione suppositi, verificantur verba Apostoli dicentis: *Dei Filius factus est ex semine David secundum carnem,* idest factus est homo, qui homo, vel qui Christus, secundum quod homo, prædestinatus est esse Filius Dei, & esse Deus, quia vnum, & idem suppositum in Christo est Deus, & homo. Referendo ergo hoc ad suppositum, Christus, secundum quod homo, prædestinatus est esse Deus. Hoc est ergo, quod August. dicit, vt alias retulimus I. de Trinit. cap. 13. *Talis fuit illa suscep^{D.P.Aug.t.}tiō carnis in Christo,* de Trin. c. 13. tom. 3. *quod Deum faceret hominem, & hominem Deum.*

Propter argumentum tamen sciendum, quod quælibet loquutio habet suam proprietatem. Nam alia est proprietas loquutionis expressa per hoc verbum, sum, es, est, vel expressa per esse; & alia proprietas loquutionis expressa per fieri, vel factum esse, & alia expressa per prædestinari, vel prædestinatum esse. Nam quantum ad proprietatem loquutionis expressæ per esse, sufficit sola unitas rerum in eodem supposito, vel unitas naturarum. Vnde hæc est vera, & propria, quod Deus est homo, & è conuerso. Cum ergo natura diuina, & humana sint in uno, & codem

Notandum
pro solu
ne argumē
torum.

codem supposito, vel in vna, & eadem persona, quia in quoconque supposito, vel persona est natura diuina, oportet, vt sit Deus, & in quoconque humana oportet, vt sit homo, ita est propria. Joquutio, & vera, quod Deus est homo, sicut est conuerso, quod homo est Deus, & ad hoc vadit dictum August. *talis fuit illa suscep^tio, scilicet carnis, vel humanitatis, siue humanæ naturæ, quod Deum fecit hominem esse, & hominem Deum.* Sed si huiusmodi loquutiones non exprimantur per esse, sed per factum esse, semper illud, quod est prius, dicitur fieri, quod est posterius, & non propriè est conuerso, quia prius est substantia, natura, vel origine, & postea dicitur illa substantia qualis, vel quanta. Immò Philosophus vult 7. Metaph. quod *Substantia est prior accidente*, quod verum est, quantum ad substantiam materiæ, & specialiter in generatione, & corruptione; secus est de alteratione, vel de alio motu. Nam vt 1. de Gene. dicitur proprium subiectū generationis est hyle. Secundū ergo proprietatem loquutionis, hæc propositio: Deus est factus homo: est magis propria, quam sua conuersa, homo est factus Deus, cùm prius fuerit Deus, & postea homo. Et hoc innuunt verba Damasceni attendentis proprietatem loquutionis, *Non dicimus hominem Deificatum, idest factum Deum, sed Deum humanatum, idest factum hominem.*

*Notæ de hoc partici-
pio, factus,
in masculi-
no, & factū
in neutro
genere.*

Aduertendum tamen, quod hoc, quod dictum est de hoc participio, *factus*, quod est magis propria ista propositio: Deus est factus homo, quam sua conuersa, homo est factus Deus, ratione prioritatis, quia propriè loquendo, quod est prius, fit quod est posterius, non est conuerso; tamen hoc participium, *factum*, in neutro genere sumptum, non dicit ordinem subiecti ad prædicatum, vel ordinem partium loquutionis ad inuicem, sed notat conditionem totius loquutionis secundum se. Et ad hoc possunt referri verba Augustini, quod talis fuit illa assumptio, vt per eam factum sit, in neutro genere, quod Deus sit homo, & est conuerso, propter quod si non est ita propria in genere masculino, homo factus est Deus, sicut est conuerso: In neutro ta-

men utraque potest dici propria, videlicet: factum esse, vt Deus sit homo, & est conuerso. Sed si huiusmodi loquutiones exprimantur per prædestinari, vel per prædestinatum esse, tunc in huiusmodi loquutionibus semper requiritur prioritas diuini propositi, vel diuinæ prædestinationis ad rem prædestinatam, non quoconque, sed illa prioritas, quæ est inter æternitatem, & tempus, quia semper prædestinatio est eterna, & semper est de re temporali. Ideo dicitur in Glossa ad Rom. *De re, que est semper, non potest esse prædiⁿatio.* Cùm ergo in Christo secundū quod Deus, nihil sit temporale, sed solum quid temporale in Christo est ipsa humanitas, & ea, quæ se tenent ex parte humanitatis, vel quæ competit Christo, secundū quod homo, & ideo Christus secundū quod homo, vel secundū quod factus est homo, dicitur esse prædestinatus, quia non ab æterno fuit homo, sed in tempore, nec ab æterno Deus fuit factus homo, sed in tempore, iuxta illud *Homo in fine temporum*, & iuxta illud: *Vergente mundi vespera*: Et per hęc patet solutio ad quæstionem propositam, quod Christus secundū quod homo, est prædestinatus fieri Filius Dei, non adoptivus, sed in virtute. Secundū autem quod Deus, absolutè loquendo, non est prædestinatus, quia hoc fuit ab æterno, nulluna autem eternum, secundū quod huiusmodi, vel absolutè loquendo, cadit sub prædestinatione. Dicimus autem, absolutè loquendo, quia Deus secundum quod Deus, non potest cadere sub prædestinatione: cùm hoc fuerit ab æterno, sed Deus in eo, quod factus homo, potest cadere sub prædestinatione, quia hoc non fuit ab æterno, sed in tempore.

Prædestina-
tio est æter-
na, sed est
de re tem-
porali.
Glossa.

R E S P. A D A R G V M E N T A.

Ad primum respondent dicta communia, & dicunt, quod competit alicui in eo quod homo, competere omni homini, verum quidem esse, si ei hoc competit ratione speciei, si autem hoc competit ei non ratione speciei, sed ratione materię particularę, vt est in proposito, quia ratione nature humanae particularę in Christo, competit ei, vt sit prædestinatus

Solutio P.
Thom. in 3.
Sent. dist. 1.
q. 1. art. 1.
Vicerius 3.
in responde
ad 1.

tus esse Filius Dei, non est verum, quod competit omni homini. Videntur ergo Scripta communia hoc ipsum intendere, quod Christus in eo quod homo, non est Deus, vel non est Filius Dei, sed in eo quod hic homo. Nos autem hunc modum, & hunc intellectum probauimus supra, quod Christus, ut homo, habet naturam humanam, & ut hic homo, habet hanc naturam humanam. Christus vero est Deus, ut habet naturam diuinam, non ut habet humanam naturam. Dicimus ergo, ad argumentum propositum respondendo, quod hoc dictum, Christus in eo quod homo, est predestinatus esse Filius Dei, assertum est per differentiam ad Christum in eo quod Deus, quia absolute loquendo, cum Christus sit Deus, & homo, & semper fuerit Deus, non autem semper fuerit homo, & de re, que semper est, non possit esse predestinatio, vt patet ex Glossa ad Rom. i. super illo verbo, *qui predestinatus, &c.* Ideo patet veritas huius loquitionis, quod Christus in eo, quod homo, est predestinatus, non autem in eo, quod Deus, &c.

In aliata
propositio-
ne ponitur
ly in eo
quod homo
ad differen-
tiam Christi
in quantum
Deus, quo-
modo ei non
competit
prædestina-
ti, cù Deus
semper fue-
rit.

Aliorum fo-
luti.

Solutio Ac-
tidi.

Ly homo in
adducto pro-
positio-
nione
dupliciter?
considerari
potest, vel
pro natura,
vel pro sup-
posito: si
stat pro na-
tura, sic est
falsa propo-
sicio, si vero
stat pro sup-
posito, sic
est vera.

Ad secundum autem, quod effectus predestinationis respondet conformiter ipsi predestinationi. Respondent dicta communia, quod quantum ad rationem predestinationis, effectus non correspondet conformiter ipsi predestinationi, quia predestinatio est eterna, effectus autem est temporalis, sed effectus conformat se predestinationi secundum varietatem ipsius effectus. Cum ergo sit falsa hec, quod Christus in eo quod homo sit Deus, non potest talem intellectum propositio habere. Possimus autem nos aliter soluere, quia ista solutio non quietat intellectum. Cum ergo dicimus, quod Christus in eo quod homo est predestinatus, esse filius Dei, ly homo, vel stat pro natura, vel pro supposito, si stat pro natura, sic est falsa, quia Christus in eo quod homo, idest, ut habet naturam humanam, non est Deus, sed prout habet naturam diuinam, est Deus. Si vero ly homo stat pro supposito, si est vera, quia licet alia sit natura, per quam Christus est homo, & Christus est Deus, vnum tamen idem est suppositum, quod est homo, & Deus, & è conuerso, & hoc fuit ab eterno præsumum, & præordi-

A natum de Christo, sed non poterat hoc esse de Christo, ut erat Deus Verbum, quia hoc erat ab eterno, de re autem eterna non potest esse prædestinatio, ut patet per Glossam præfatam, erat autem haec ordinatio, & haec prævisio, in eo quod Christus erat homo, quod non fuit ab eterno.

Ad tertium dicendum, quod non est simile omnino de loquutione expressa, per hoc participium, *factus*, & de expressa per hoc participium, *prædestinatus*. Nam loquutio expressa per hoc participium, *factus*, est

B magis propria, si dicatur, Deus factus est homo, quam homo factus est Deus, quia prius fuit Deus, & postea fecit se hominem, Secundum ergo hoc participium,

factus, in masculino, magis est propria: Deus factus est homo, quam è conuerso: sed si præfatum participium sumatur in neutro, utraque potest proprium nuncupari, quia per illam assumptionem, vt patuit per Augustinum, factum est in neutro genere, vt Deus sit homo, & è conuerso: Sic ergo exponenda sunt verba Augustini, quod illa assumptionis fecit Deum hominem, & è conuerso, id est, per illam assumptionem factum est, vt Deus sit homo, & è conuerso. Sic ergo dicendum est, quantum ad esse factum. Sed quantum ad esse prædestinatum est è conuerso. Nam quantum ad factionem sufficit, vt sit prioritas temporalis.

Prius enim eternitate, & tempore Christus fuit Deus, quam esset homo, sed quantum ad prioritatem predestinationis de necessitate requiritur prioritas eternitatis ad tempus. Propter quod de nulla re eterna potest esse predestinatio, sed semper est de re temporali, ideo, licet ista sit magis propria: Deus factus est homo, quam sua conuersa, ista tamen est magis propria: Christus est predestina-

tus in eo quod homo, &, abso-
lutè loquendo, est impro-
pria, & falsa: Chri-
stus est predestina-
tus in eo quod
Deus.



ARTIC. II.

Vtrum prædestinatio Christi sit de persona. Conclusio est negativa.

ECUNDΟ quæritur: Vtrum prædestinatio de Christo sit de persona, vel de natura, & videtur, quod de persona, quia prædestinationis Christi est ad filiationem, iuxta illud ad Rom. *Prædestinatus est Filius Dei in virtute*. Filiatio autem non competit naturæ, sed personæ: ergo &c.

Rom. c. 8. Art. 1. Est. 6.4.

Præterea. Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, propter quod prædestinatio est respectu beatitudinis, vel felicitatis; sed felicitari competit personæ, cui competit agere, quia secundum Philosophum i. Ethicorum. *Felicitas est operatio animæ, secundum virtutem perfectam*: cum ergo operari sit suppositi, non naturæ: ergo &c.

Præterea. Humana natura non est alterius rationis in Christo, quam in alijs hominibus: sed in alijs hominibus prædestinatio non est de natura, sed de supposito, vel de persona: ergo &c.

IN CONTRARIVM est: quia dixit Glossa ad Rom. i. *Prædestinatio est de hoc, quod non semper fuit*: sed nihil est in Christo, quod non semper fuerit nisi humana natura: ergo prædestinatio quantum ad Christum est de humana natura, quæ non semper fuit, non autem de persona Christi, quæ semper fuit.

Gloss. super epist. ad Rom.

Præterea. Ex hoc est aliquis prædestinatus, quia præuidetur à Deo, quod est ei vniendus per gratiam: sed natura humana in Christo est præuisa ab eterno vnienda Deo per gratiam vnionis: ergo de humana natura, non de persona diuina est prædestinatio quantum ad Christum.

A

Dub. I. Lateralis.

Vtrum prædestinatio Christi sit conformis prædestinationi nostræ. Conclusio est affirmativa.

D.Thom. 3.p. q.24. art.3. Caiet. Medina. Cabrera. ibidem. D. Bonau. in 3. sent. dist. 11. art.1.q.2.

LTERIVS autem dubitatur, Vtrum prædestinatio Christi sit conformis prædestinationi nostræ. Et videatur, quod non, quia prædestinatio nostra, secundum August. *Est diuinum propositum miserendi nobis*: sed hoc non competit Christo, qui nunquam fuit miser: ergo &c.

Præterea. Effectus prædestinationis est ipsa gratia; Christi autem gratia, quæ non est gratia adoptionis: sed vnionis, non est eiusdem rationis cum gratia nostra, quæ est gratia adoptionis: ergo &c.

Præterea. Operationes differunt penes terminos: sed prædestinatio est quædam operatio diuina, quia est prædestinatio Dei; cum ergo prædestinatio Christi terminetur ad filiationem naturalem, quia prædestinatus est Christus esse Filius Dei in virtute, idest Filius Dei naturalis; filiatio autem nostra terminatur ad filiationem adoptionis: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quia utriusque prædestinationi tam Christi, quam nostræ, cōpetit una definitio. *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*: ergo sunt eiusdem rationis prædestinatio Christi, & nostra.

Præterea. In Glossa ad Rom. i. super illis verbis, *Qui Prædestinatus est, &c.*, dicitur: *Præclarissimum exemplar nostræ prædestinationis præcessit in Christo*: ergo si nostra prædestinatio est ad exemplar prædestinationis Christi, eiusdem rationis sunt prædestinatio Christi, & nostra.

Prædestinationis definitio.

Dub. II. Lateralis.

*Vtrum prædestinatione Christi sit causa efficiens prædestinationis nostræ.
Conclusio est negativa.*

D.Thom.3.p.q.24.art.4.Silu.Medin.Aluar.ibidem:D.
Bon.3.sent.d.11.art.1,q.2. Cabr.ad 3.p.q.
24.art.4. disp.vnica.

L T E R I V S autem dubitatur. Vtrum prædestinatione Christi sit causa efficiens prædestinationis nostræ. Et videtur, quod sic, quia dicitur ad Ephesios 1. *Ephes. c. 1. Deus prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum: sed hæc loquatio denotat causam efficientem: ergo prædestinatione Christi fuit causa efficiens prædestinationis nostræ.*

R om. c. 8. Præterea. Videtur, quod fuerit causa exemplaris, propter id quod dicitur ad Rom.8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui: sed imago ad exemplaritatem pertinet: ergo &c.*

Ephes. c. 4. Præterea. Videtur, quod fuerit causa finalis. Nam prædestinatione ordinatur ad impletionem corporis Christi, quia ut dicitur ad Ephes. 4. de ordinatione Ecclesiæ: *Est in opus ministerij in ædificationem corporis: ergo &c.*

IN CONTRARIVM est, quia nullum aeternum habet causam: sed prædestinatione nostra est aeterna: ergo non habet causam nec efficientem, nec aliquam aliam.

Præterea (ut supra patuit) Christus non est prædestinatus, nisi secundum quod homo: sed secundum quod homo non est causa nostræ prædestinationis, immo si est huiusmodi causa est secundum quod Deus.

RESOLVTIO ARTICVLI
Principalis.

Christi prædestinatione tripliciter considerari potest, scilicet, effectuè, passiuè, & terminatiuè: primo modo dicitur de tota Trinitate, quia ab aeterno fuit præui-

P A R S III.

A sum, & præordinatum, ut unionem humanitatis ad Verbum tota Trinitas efficieret. Secundo modo dicitur de natura, quæ per gratiam unionis passa est talem unionem. Tertio modo dicitur de persona Christi, quia ab aeterno fuit prædestinatum ut Christus, secundum quod homo, esset Filius Dei, non adoptius, sed naturalis, per gratiam unionis. Quæstio præsens videtur loqui secundo modo.

R E S P O N D E O ad articulum principalem, quod cum queritur, Vtrum prædestinatione sit de persona, vel de natura. Dici debet, quod prædestinatione potest sumi communiter, & largè: vel propriè, & strictè. sumendo prædestinationem communiter, & largè, omnis prædestinatione, & præcognitio diuina est prædestinatione quedam: nam propriè loquendo de prædestinatione, semper est respectu gratiæ, ideo prædestinati dicuntur illi, qui sunt præordinati ad gratiam, & per gratiam ad gloriam. Illi autem, qui sunt præsciti ad poenam, quia non habent proprium nomen, retinent sibi nomen commune, & dicuntur præsciti.

Descendamus ergo ad prædestinationem Christi, dicentes, quod prædestinatione Christi non est respectu gratiæ adoptionis, sed unionis. In unione autem importantur tria, videlicet unio, assumptio, & missio: hoc enim modo Christus vniuit sibi naturam nostram, & carnem nostram, quia assumpsit, id est, ad se sumpsit naturam nostram humanam, & carnem: & hoc modo vniuit, & ad se sumpsit nostram carnem, & humanam natu-
Christi prædestinatione non est respectu gratiæ adoptionis, sed unionis.
In unione tria importantur.
In gratia unionis includuntur.

D quia fuit missus in carnem, propter quod in gratia unionis, ad quam terminata est prædestinatione Christi, includuntur tria, scilicet, assumptio, unio, & missio. De omnibus ergo his tribus terminabimus, & secundum omnia hæc tria soluemus questionem propositam. Cum ergo queritur de prædestinatione Christi, quæ non fuit de gratia adoptionis, sed de gratia unionis, Vtrum talis unio sit de natura, vel de persona, dici debet, quod huiusmodi unio, vel dicitur passiuè, vel effectuè, vel determinatiuè; si sumitur passiuè, sic competit nature, quia natura huma-

vnio passiuè competrat naturæ terminatiuè ipsi personæ & effectiue toti Trinitati.

humana est illa, quæ est vñita ipsi Verbo, A facta est autem vñio in persona, tamen ipsa natura humana est assumpta à Verbo, & vñita Verbo. Sed si loquamur de huiusmodi vñione terminatiuè sic facta est ad personam, quia ad solam personam Verbi terminata est huiusmodi vñio, & sola persona Verbi est incarnata: sed si loquamur de huiusmodi vñione effectiue sic competit toti Trinitati, quia tota Trinitas incarnauit Filium, & vñiuit ipsum carni, ideo in induitione filij secundum carnem ponitur exemplum de tribus personis nudis, quarum duæ induerunt tertiam, ita tamen, quod tertia induit se ipsam. Sic est ergo in proposito, quia ante incarnationem Verbi omnes tres personæ diuinæ erant nudæ, nulla enim erat induita carne. In incarnatione autem duæ personæ, idest Pater, & Spiritus Sanctus induerunt Filium carne, ita tamen, quod Filius induit seipsum carne, cum indiuisa sint opera Trinitatis, sicut est indiuisa substantia: tres ergo personæ fuerunt induentes Filium carne, sed vna sola persona, idest sola persona Filij est induita carne, vel ad solam personam Filij est terminata incarnatio, & vñio ad carnem.. Benè ergo dictum est, quod de vñione aliter loquendum est passiuè, secundum quem modum natura humana est prædestinata per gratiam vñionis, vt vniatur Deo, hoc enim est passiuè, quia illa natura nihil operata est ad tales vñionem, sed solum passa est huiusmodi vñionem. Tota enim Trinitas operata est effectiue huiusmodi vñionem: vñiri ergo passiuè competit naturæ humanae, vñire effectiue competit toti Trinitati, sed vñire terminatiuè competit soli personæ Filij, quia sola persona Filij est incarnata, & ad solam personam Filij est talis vñio terminata..

Cum ergo quæritur de prædestinacione Christi. Vtrum talis prædestinatio sit de natura, vel de persona, si loquamur passiuè, sic est de natura, quæ per gratiam vñionis passa est tales vñionem, sed si loquamur terminatiuè, sic est de persona, ad quam terminata est talis vñio. Ab æterno enim fuit prædestinatum, vt Christus secundum quod homo, vel quod idem est, secundum carnem, esset Filius

Dei non adoptius, sed secundum virtutem, idest naturalis, vt esset homo ille, Filius Dei in virtute, idest in eadem virtute, & eadem potentia cum Patre, & esset vñus Deus cum ipso, quod non potest competere nisi filio naturali. Et sic passiuè potest esse prædestinatio de natura humana, & terminatiuè de sola persona Filij, sic effectiue potest esse de tota Trinitate, quia ab æterno fuit præuisum, & præordinatum, quod tota Trinitas deberet suo tempore vñire Filium suum carne, & induere ipsum carne, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam vñionis.

B Aduertendum tamen, quod sicut fuit ab æterno præordinatum, sic in tempore est exequutioni mandatum. Non enim ab æterno fuit præordinatum, quod humanitas Christi in abstracto esset Filius Dei, quia Dei Filius, licet sit homo in concreto, & vt hoc nomen, homo, importat suppositum, sic prædestinatus est esse Filius Dei, iuxta dictum Apostoli, loquentis de homine Christo, & dicentis, qui homo, idest, qui Christus, secundum quod homo, & secundum carnem prædestinatus est esse Filius Dei in virtute. Concludamus ergo & dicamus, quod non de quolibet homine, sed tantum de Christo, secundum quod homo, sic est prædestinatus esse filius Dei, vt dictum est.

D Recurramus ergo ad hanc distinctionem, quod Christus secundum quod homo, vel potest stare pro natura, vel pro supposito: si pro natura falsum est, quod homo ille, idest humana natura assumpta à Verbo sit Dei Filius, quia Filius Dei non est sua humanitas, licet sit sua Deitas, sed si ly homo stat pro supposito, cum non sit nisi vnum, & idem suppositum, quod est Dei Filius, & est Deus hominis filius, & homo, sic verum est, quod dicitur, quod homo ille, vt dicit suppositum, est prædestinatus, idest ab æterno prædestinatus est esse Filius Dei. Propter quod Magister in Glossa super illo verbo, *Prædestinatus est*, &c. ait, quod Christus secundum quod homo, non est Deus, nisi hoc, quod dicitur, *secundum*, referatur ad vnitatem personæ, quia non est, nisi vna persona, quæ est Deus, & homo, vel suppositum vnum, quod est Deus, & homo.

ly homo in Christo, si stat pro natura, falsum est, quod ille homo sit filius Dei; sed si stat pro supposito, sic est verum.

Notandum.

Sed ne dicamus pugnantia, sciendū, vt A
supra diximus, quòd ista propositio Chri-
stus secundūm quòd homo, vel secundūm
quòd hic homo, non est Deus, vel Dei Fi-
lius, est vera, prout homo stat pro na-
tura, quia non est differentia, prout ho-
mo stat pro natura, inter hominem, &
hunc hominem, nisi quæ est inter huma-
nitatem, & hanc humanitatem. Christus
enim vt homo, & vt stat pro natura, nec
est humanitas, nec est hæc humanitas, li-
cèt sit Deitas, & hæc Deitas. Sed vt ho-
mo stat pro supposito, vel pro persona, C
Christus est homo, & hic homo, quia non
est in Christo, nisi vna persona, & vnum
suppositum, scilicet æternum.

*In 1. sent.
dist. 15.*

Sed quomodo quæstio de vnione, prout
vnio implicat assumptionem, poterit sol-
ui? Dici debet, quòd per ea, quæ dicta
sunt in præcedentibus distinctionibus de
assumptione, quomodo Dei Filius assump-
psit, idest ad se sumpsit humanam natu-
ram, poterit solui quæstio præhabita. Sed
rursus quomodo soluitur quæstio de mis-
sione, prout ista vnio implicat missionem,
quia Dei Filius fuit missus in carne? Dici
debet, quòd per ea, quæ dicta sunt in C
1. libro de missione diuinarum persona-
rum, quia vna persona potest aliam mit-
tere duplíciter, vel quia persona mittens
habet autoritatem super persona missa,
& tunc persona missa procedit, & accipit
esse à persona mittente; vel dicitur vnam
personam mittere aliam, non quia perso-
na mittens habeat autoritatem super
personam missam, sed quia habet autho-
ritatem super effectum, ad quem mittitur
persona missa, & quia appropriatur perso-
na missæ: secundum quē modū si mittitur
Filius ad illuminandum intellectum, quia D
illā illuminatio, & ille effectus appropriatè
est à Spiritu Sancto, licèt sit à tota Trinita-
te, ratione huius effectus poterit dici mitti
à Spiritu Sancto, & hoc modo verificatur
illud dictum Isai. *Dominus misit ad me,*
idest Deus Pater, & *Spiritus Sanctus eius:*
quod de missione in carnem potest verifi-
cari, quæ potest appropriari Spiritui San-
cto, iuxta illud: *Spiritus Sanctus superue-*
niet in te, & virtus Altissimi obumbrabit
tibi, idest Dei Filius, qui est virtus, & sa-
pientia Dei Patris, vmbra carnis sumet
in te.

Lug. c. 1.

RESP. AD ARGUMENTA Principalis Articuli.

Ad primum autem respondent dicta,
communia, quòd filiatio non est imme-
diatus terminus, ad quem terminatur gra-
tia vnionis, id autem verum est, si de gra-
tia vnionis loquamur passiuè, prout ipsa
natura humana est vnta Dei Filio, quod
dicunt Scripta communia, quia natura
humana in abstracto non est Dei Filius:
sed si sumatur natura humana in concre-
to, prout implicat, & includit supposi-
tum, licèt humanitas non sit Dei Filius.
Homo tamen ille, idest Christus, vt inclu-
dit suppositum, vel personam (quia in
Christo non est, nisi vnum suppositum, &
vna persona) sic sumptus, est Dei Filius:
propter quod, vt probauimus per Magi-
strum in Glossa: Christus secundūm quòd
homo, si ly secundūm, referatur ad vnit-
atem personæ, hoc modo Christus secun-
dūm quòd homo, est Dei Filius.

Ad secundum dicendum, quòd semper
vnio ad Deum est felicitas, tamen hominis
Christi, quam aliorum hominum. Alter
tamen, & aliter: quia Christi hominis est
felicitas per gratiam vnionis, sed aliorum
hominum, est felicitas per gratiam ado-
ptionis: vel aliter tamen, & aliter, quia
felicitas hominis Christi est felicitas per
vnionem ad Deum in persona Filij, sed
aliorum hominum est felicitas per vnio-
nem ad Deum, non in persona, sed in
operatione ad Deum, vt per visionem, &
amorem, quem habet circa Deum.

Et per hæc patet solutio ad tertium ar-
gumentum, quòd cum felicitari compe-
tit Christo per gratiam vnionis in perso-
na Filij: alijs autem hominibus compe-
tit felicitari per operationem, quam ha-
bent circa Deum, videndo, & amando
ipsum, non obstante, quòd natura hu- Eſſe felicē
non eodem
modo lcom
petit Chri-
sto, & alijs
hominibus,
vt diqum
est.

mana sit eiusdem rationis in Chri-
sto, & in alijs hominibus, fe-
licitari tamen non eo-
dem modo competit
Christo, & alijs
homi-
bus.

Refo-

Responsio
D. Tho. est,
quòd filia-
tio non est
imme-
diatus te-
rminus gra-
tia nis, &
sic maior
argumenti
est negāda.

Felicitas
Christi est
per graciā
vnionis: a-
liorum ve-
rō hominū
est per gra-
tiam ado-
ptionis.

Resolutio Dub. I. Lateralis.

Prædestinatio Christi, & nostra, ex parte Dei prædestinantis possunt dici eiusdem rationis: at ex parte prædestinatōrum, & terminorum à quo, & ad quem, nequaquam.

D primam dubitationem lateram. A lem, in qua queritur, Vtrum prædestinatio Christi sit conformis prædestinationi nostræ, dici debet, quod ut patet per Gloss. ad Ro. super illo verbo: B *Qui prædestinatus est, &c. Præclarissimum exemplar nostræ prædestinationis præcessit in Christo: ex quo videtur, quod eiusdem rationis sit prædestinatio Christi, & nostra. Sed sciendum, quod omnis similitudo, & omne exemplar non oportet, ut sit per omnem modum, nec quod habeat multos pedes. In hoc autem exemplar nostræ prædestinationis præcessit in Christo, ut Glossa prosequitur in prefata epistola: Sicut nulla merita præcesserunt in Christo, ut prædestinaretur esse Filius Dei: sic nulla merita præcesserunt in nobis, ut esse filij Dei. Tamen longè aliter Christus prædestinatus est esse Filius Dei, & nos: quia ipse prædestinatus est esse Filius Dei naturalis, & in eadem natura cum Patre: nos autem prædestinati sumus esse filij adoptiui, non eadem virtute cum Deo; sed in quadam operatione, idest in visione beata, quam habebimus de Deo, & in amore perfecto, per quem quiescēmus in Deo, & erimus hæredes Dei, & satiabimur de Deo, sicut ipse quiescit in seipso, & satiatur de seipso.*

Gloss. super Epist. ad Rom.

Quomodo Christus dicitur exemplar prædestinationis nostra.

D. Thom.

Prædestinatio quadrupliciter considerari quadrupliciter: primò ex parte prædestinantis: secundò ex parte prædestinationis: tertius ex parte termini, à quo incipit prædestinatio: quartò ex parte termini, ad quem terminatur prædestinatio. Ex parte ergo prædestinantis, quod Deus est, potest concedi, prædestinationem Christi, & nostram esse eiusdem rationis; quia idem Deus prædestinavit Christum, & nos, qui, vt prædestinati, sumus membra eius; sed ex parte prædestinati, prædestinatio Christi, & nostra non est eiusdem

Aegid. super iij. Sent.

A rationis, quia ipsa natura Christi est prædestinata, vt vniatur per gratiam unionis in unitatem personæ Filii Dei, itaque de ipsa natura humana Christi potest esse prædestinatio: sed prædestinatio nostra non est de natura, sed de persona, nam hoc modo sumus prædestinati, vt vniamur Deo, per operationem, quam habemus circa ipsum, videndo ipsum aperte.

& diligendo ipsum perfectè. Cum ergo operari non sit naturæ, sed personæ, quia anima non intelligit, sed homo per animam, quantum ad rem prædestinatam, potest dici non esse eiusdem rationis prædestinatio Christi, & nostra: Tertiò, quantum ad terminum à quo, differt prædestinatio Christi, & nostra, quia nostra prædestinatio semper incipit à miseria, & peccato, cum nascamur natura filij iræ. cum prius sumus non filij, quam filij, vel tempore, vt in hominibus, vel natura, vt in Angelis, secundum ponentes eos fuisse creatos in gratia, secundum quem modum, saltem natura fuerunt prius non filij, quam filij. Sed Christus etiam secundum quod homo, ab initio fuit Dei Filius per gratiam unionis, & non prius fuit non filius, quam filius, sicut nos, qui prius fuius filij iræ, & postea per gratiam facti sumus filij adoptiui: Christus autem nunquam fuit filius iræ, quia nullū contraxit peccatum à principio suæ originis. Christus ergo secundum carnem, unitus est Filio Dei, & prædestinatus est esse Filius Dei, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis humanæ naturæ in unitatem personæ Verbi, omnes tamen isti tres modi, videlicet ex parte Dei prædestinantis, ex parte rei prædestinatae, & ex parte termini, à quo non sunt ea, quæ per se diuersificant prædestinationem, siue rationem prædestinationis, sed per se diuersificant huiusmodi rationem prædestinatio ex parte termini ad quem, & hoc modo non est eiusdem rationis, prædestinatio Christi, & nostra, quia Christus prædestinatus est ad unionem, cum Dei Filio in persona: nos autem prædestinati sumus ad unionem cum Deo per operationem, vt per visionem apertam, & amorem perfectum. Et per hæc dicta solui possunt omnia argumenta.

Prædestinatio Christi respicit naturam, prædestinatio nostra respicit personam.

Quæ sunt, quæ per se diuersificant prædestinacionem, & quæ non.

Resolutio Dub. II. Lateralis.

Prædestination Christi nedum est causa exemplaris, & finalis, sed sufficiens prædestinationis nostræ, non quidem diuini propositi, quo prædestinamur ab aeterno, at exequutionis eiusdem diuini propositi, quæ sit in tempore,

Aeternā nō potest propter habere causam.

D. P. Aug.
de Ciuit. c.
17. tom. 5.

Prædicatione
Apostolica
quanti nobis profuerit.

D secundam dubitatioem lateram A lēm, in qua quæritur, Vtrum prædestinationis nostræ sit causa prædestinationis nostræ, per cuius quæstionis argumenta probatur prædestinationem Christi esse in triplici genere causæ, respectu prædestinationis nostræ, efficientis, exemplaris, & finalis. Ad quæ omnia dici potest, quod quærere causam prædestinationis nostræ, vel hoc est ex parte diuini propositi, quod est aeternum, & sic non habet causam, quia nullum aeternum (cum secundum veritatem solus Deus sit aeternus) propriè loquendo, potest habere causam. Alio modo potest considerari causa diuinæ prædestinationis, non quantum ad diuinum propositum, quod est aeternum, sed quantum ad exequutionem diuini propositi, quæ exequutio est quid temporale. Nam quod Christus in seipso eternaliter ordinauit, prout sic eternaliter statuit, ita temporaliter sequitur. Vnde August., 12. de Ciuit. Dei cap. 17. dat differentiam inter nos, & Deum, quia cum nos nouo consilio aliquid agimus, muramur in mente, sed non Deus, vt ibidem dicitur: *Deus non aliter afficit cum vocat, quam cum operatur*, & hoc modo quantum ad exequutionem, prout Deus, mediante vna re temporali agit, & exequitur aliam rem temporalem, nostra prædestinatione potest habere causam. Quia

ipsi Apostoli à Christo missi, prædicantes, & conuertentes mundum, fuerunt causa exequutiua nostræ prædestinationis. Nam prædestinatione nostra est respectu salutis nostræ. Cum ergo hoc modo salvi facti sumus, quia mediantibus Apostolis prædicantibus, & conuertentibus mundum, suscepimus fidem, & gratiam, per quam saluamur. Propter quod si Apostoli missi à Christo ad conuertendum mundum fuerunt causa salutis effectus prædestina-

A tionis nostræ, multò magis fuit huiusmodi causa ipse Christus, mittens eos; immò ipsi Christo debet specialiter attribui huiusmodi causa nostræ salutis, cum prima ad Titmot. 2. dicatur: *Mediator Dei, & hominum est homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redēptionem pro omnibus*, scilicet nobis. Christus ergo, vel prædestinationis Christi fuit causa efficiens exequutiua prædestinationis nostræ, & fuit causa exemplaris, & finalis; fuit enim causa efficiens, quia ut dicitur ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*.

Cum ergo Pater, vt in arguendo dicebatur denotet causam efficientem: dicere possumus, quod Christi prædestination fuit causa efficiens prædestinationis nostræ, non quia ficerit causa diuini propositi, quod est aeternum, sed fuit causa exequutiua diuini propositi, quod est in tempore, per Iesum Christum adimpletum, & sicut Christus est causa efficiens exequutiua prædestinationis nostræ, sic potest dici causa exemplaris, iuxta illud: ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, & præsidiuit conformes fieri imaginis Filii sui*. Nos ergo sumus prædestinati per gratiam adoptionis, vt simus Dei filii adoptiui, sed filius adoptionis per gratiam debet se conformare ei, qui est naturaliter Filius per naturam. Secundum ergo hunc modum Christus Dei Filius, cui nos debemus pro viribus conformare, est causa exemplaris nostræ prædestinationis. Tertiò, Christus, qui est Deus, & homo, & qui est Dei hominis Filius, est causa prædestinationis nostræ finalis, quia ut dicitur ad Ephes. 4. de ordine Ecclesiæ: quod est in edificatione Corporis Christi. Nam prædestinatione nostra tota est, vt simus membra Christi, & ideo quando erit completus numerus electorum erit consumata edificatione Corporis Christi. Sic enim intelligenda est prædestinatione Christi, quod ipse cū omnibus suis membris ab aeterno est prædestinatus ad salutem. Et sicut ab aeterno est prædestinatum, sic postea est in tempore completum. In hoc primo stat finaliter prædestinatione nostra, vt compleamus edificationem Corporis Christi quantum ad omnia membra sua. Sunt enim membra Christi, non solum qui fuerunt, & qui erunt post Christum electi,

Prædestina-
tio Christi
est causa ef-
ficiens, exem-
plaris, & fi-
nalis præ-
destinationis
nostra.
Ephes. c. i.

Rom. c. 8.

Filius ado-
ptus de-
bet se con-
formare fi-
lio naturali

In quo finis
litter confi-
litat nostra
prædestina-
tio.

electi, & saluandi, sed etiam illi, qui fuerunt ante Christum electi, & saluandi.

D. P. Aug.
18. de Ciū.
cap. 47.

Propter quod Aug. 18. de Ciuit. Dei. cap. 47. ait: *Nulli concessum est pertinere ad spiritualem Ierusalem, nisi cui reuelatus est Christus.* Et subdit ibidem: *Vna est fides antiquorum, & nostra, quia tota fides antiquorum & nostra est in Christo,* in hoc tamen differt, quod antiqui credebant, & sperabant Christum venturum, nos autem credimus ipsum venisse. Propter quod Hugo de S. Victore lib. 1. par. 8. cap. 11. ait:

Hugo de S.
Vid. lib. 1.
par. 8.c. 11.

*Ab initio
mundi usque
in finē om-
nes, qui sūt
salutē con-
sequunt, vel
consequen-
tur: Christi
gratia re-
fere tenen-
tur*

*Scias ergo quocunque tempore, ab initio
mundi usque in finē, nullum fuisse, aut
esse verē bonum, nisi iustificatum per gra-
tiam: gratiam autem nunquam aliquem
adipisci potuisse nisi per Christum, itaut
omnes, siue præcedentes, siue subsequentes
uno sanctificationis remedio saluatos agno-
scas.* Sic enim imaginatur præfatus Hugo in præfato loco, quod Christus Rex sit mediūs in acie constituta ex membris eius. In qua acie omnes præcedentes nativitatem Christi sunt ante Christum, omnes autem sequentes sunt in eadem acie post Christum, omnes tamen existentes in huiusmodi acie sunt membra Christi, tam præcedentes, quam sequentes, & sunt in ædificatione Corporis Christi, & ideo, ut ait dictus Hugo ibidem, *Aspice ergo causam aduentus Regis nostri,
& aciem exercitus in armis spiritualibus
fulgentem, & quanta præcedentium, &
subsequentium populorum multitudine stip-
patus, idest ornatus incedat.* Tunc ergo erit perfecta ædificatio Corporis Christi, quando erit perfectus numerus electorum, ut hoc modo Christus, vel ædifica-
tio corporis Christi, quantum ad omnia sua membra sit causa prædestinationis nostræ, idest, exequutiua nostræ præde-
stinationis. Tria ergo præfata argumen-
ta, quod prædestinationis Christi, idest ex-
equutio prædestinationis Christi, est causa
prædestinationis nostræ, quantum ad ex-
ecutionem, efficiens, exemplaris, & finalis,
non oportet soluere, quia quodlibet

Actes Christi
sunt in ædi-
ficationem
mystici cor-
poris eius.

Tria argu-
menta addu-
cta in con-
trarii non
foluntur,
quia aliisque
modo veri-
tatem con-
cludunt, ut
in quæstio-
nis declara-
tione diu-
nit.

illorum trium argumentorum
suo modo, ut ostensum
est, veritate con-
cludit.

Aegid. super iij. Sent.

Dub. I. Litteralis.



UPER litteram pri-
mò queritur de illo
verbo: *Vtrum Christus secundum quod homo sit persona, vel sit aliquid.* Sed contra. Quæstio est dubitabilis propositio:

Quæstio est
dubitabilis
propositio.

Sed non videtur, quod aliquis posset de hoc dubitare, quod Christus secundum quod homo, non sit persona, nec sit aliquid. Ad quod dici potest, quod licet quātū ad opinionē primā, ponentē in Christo duo supposita, & quantū ad opinionē secundam, ponentē in Christo duas naturas, nō autē duo supposita, vel duas personas, nulli potest esse dubium, quod Christus secundum quod homo, si non est persona, est tamen aliquid, quia aliquid constituitur in Christo ex anima rationali, & carne, etiā secundū quod est homo, quia constituitur in eo humanitas, vel natura humana. Illa ergo Damasc. sententia lib. 3. c. 3. *In Christo Iesu non est communem speciem accipere, intelligenda est quantum ad Deitatem, & humanitatem, ex quibus duabus naturis nō constituitur una natura communis, & tertia: nō autē est intelligenda quantum ad animam rationalē, & carnē, quia hoc modo in Christo ex his duabus naturis, videlicet ex anima rationali, & carne constituitur una natura communis, & tertia, quæ dicitur humanitas.*

D. Damasc.
lib. 3. c. 3.

Propter quod quantum ad duas pri-
mas opiniones non potest esse dubium, quin Christus secundum quod homo sit persona, vel aliquid, quia aliquid constituitur in Christo secundum quod est homo. Sed hoc dubium posset esse quantum ad tertiam opinio-
nem, ponentē animam, & carnem uniri Ver-
bo essentialiter, & ut indumentum, & ut ha-
bitum. Sicut ergo ex indumento nihil con-
stituitur, quod substantialiter pertineat ad ré indutam, ideo secundum tertiam opinionem, seu potius errorem supra satis refutatum, Christus secundum quod homo, habet essen-
tialiter unionem ad Verbū, & nō habet per-
sonalem unionem ad ipsum, propter quod Christus secundum quod homo, in hac tertia opinione, nec est persona, nec aliquid con-
stitutum receptum in unitate personæ, vel in unitatem suppositi: tamē prima opinio-

D

dissert

Pp 2

differt

Ex tribus opinionibus sola secunda est vera, & catholica; prima autem, & terciam eripiuntur, & falsa.
differt à secunda, quia secundū primā opinionem humanitas assumpta à Verbo constituit uit suum suppositum, quod est erroneū & falsū: sed secundūm opinionēm secundam, quæ sola est Catholica, & vera, anima, & caro, assumptæ à Verbo, constituunt aliquid, non personam, vel suppositum, sed humanam naturam.

Dub. II. Litteralis,

LITERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur: *ly secundūm, multiplicem habet rationem, & assignat in littera, quasi quinque rationes, vel quinque modi, quos potest importare hęc propositio, secundūm, vt primus modus sit quia potest importare, & exprimere conditionem, vel proprietatem naturae diuinæ. Secundus sit, quod potest notare, vel exprimere conditionem humanæ naturæ. Tertius sit, quia potest notare, vel exprimere vnitatem personæ. Quartus sit, quod potest notare, vel exprimere habitū. Quintus sit quod potest notare, vel exprimere causam. Scripta autem communia ad hęc omnia exponenda iuvant se cum tertia opinione, quæ est erronea, & falsa, sed quæcunque possumus exponere, iuvando nos cum veritate ad illa exponenda, non debemus nos iuvare cum errore, & falsitate.*

Opinio Aegidij.
Refellitur dialecta opinio.
Dicemus ergo, vt supra tetigimus in solutione primæ quæstionis, quod in hoc Deus impassibilis, secundūm quod homo fuit passus; referuantur, vel exprimuntur omnia ista, quæ possunt dici quatuor, vel quinque. Quatuor enim modi sunt assignati, si conditionem diuinæ, & humanę naturę volumus accipere pro eodem modo, sed si volumus, quod conditio diuinę naturę faciat primum modū, & conditio humanę naturę secundum modum, & vnitatis personę faciat tertium, & habitus faciat quartum, & causa faciat quintum, erunt quinque modi assignati, omnes autem hi quinque modi exprimuntur in loquitione predicta. Nam cùm dicitur Deus impassibilis, exprimitur prima conditio diuinę naturę, sed cùm secundo subiungitur, secundūm quod homo fuit passus, exprimitur conditio naturę, & carnis

PARS III.

A humanę. Exprimitur autem ibi tertio vniuersitas personæ. Nam hoc modo, Deus impassibilis, secundūm quod homo, fuit passus, quia erat una persona, quę erat Deus, & homo. Quartò exprimitur conditio habitus, quia quamvis natura humana sit assumpta in vnitatem personæ Verbi, tamen eo ipso quod aduenit Verbo, vel personæ Verbi, post esse completem, illa natura habet rationem cuiusdam habitus, iuxta illud ad Philipp. 2. *In similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus ut homo.* Quintò in dicta loquitione, cùm dicitur Deus impassibilis, secundūm quod homo fuit passus, exprimitur causa huius passionis, quia tota causa passionis fuit ex causa naturę humanę assumptæ.

Dub. III. Litteralis.

LITERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur: *Illa tamen persona descripta, scilicet, quam dat Boetius, non est data proprie illis tribus personis.*

Sed contra Boetius rectè dat definitio, nem illam de persona in lib. De duab. naturis, & una persona Christi; ergo cum directe loquatur Boetius in illa materia, vbi agitur de persona Christi, quæ est persona diuina; illa definitio ibi data propriè se extendet ad alia personas diuinias.

DICENDVM nō esse conueniens, quod Boetius, volens tractare propriè de persona Christi, det quandā definitionem communē ad omnem personam, nam definitio illa data ibidem à Boetio: *Est rationalis natura individua substantia*, non solum non est propria personis diuinis, sed etiam non est propria personis Angelicis. Nam secundum Dionys. 6, de diuinis nominib, differentia est inter Angelos, & homines, quia Angeli sunt intellectuales, homines vero rationales; si ergo personæ Angelicæ propter sui simplicitatem non debent dici rationales, sed intellectuales: multò magis personæ diuinæ, quę sunt simpliciores Angelis, intellectuales dici merebuntur, vt ex hoc manifestè appareat definitionem illam, prout Magister in littera dicit, non esse propriam personis diuinis.

Dub.

D. Dionys. 6. de diuinis nom.

Dub. I V. Litteralis.

VLTERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur: *Non autem sic dicitur Filius natura, ut dicitur Deus.* Sed contra . Nam hęc est differentia inter nos, & Dei Filium: quia Dei Filius est filius natura, nos autem sumus filii per gratiam adoptionis: ergo videtur, quod eodem modo dicitur Deus, & Dei Filius, quia de vtroq; verificabitur, quod. sit Deus natura. Nam Deus propriè loquendo, est natura Deus, & Dei Filius, propriè loquendo est natura Deus.

DI C E N D V M, quod ad hoc potest multipliciter responderi primo sic: quia filiatio etiam propriè sumpta, non solum reperitur in diuinis, sed etiam in creaturis; vt sicut propriè loquendo in diuinis Filius est natura Deus, sic & in creaturis filius Leonis est natura, vel naturaliter Leo. Non ergo eodem modo dicitur natura Deus, & Filius Deus, quia nomen filiationis etiam propriè loquendo reperitur in alijs à Deo, sed nomen Dei etiam propriè loquendo, non nisi in diuinis. Si autem reperitur in alijs: quia dat natura Deum, & dat gratia, iuxta illud: *Ego dixi Dij estis:* dici debet, quod qui sunt Dij gratia, non sunt Dij, propriè loquendo, quia propriè loquendo, non est Deus, nisi qui est natura Deus, si autem per gratiam possunt dici aliqui Dij, hoc non erit propriè loquendo, sed accipiendo nomen Dei extensiè, extendendo nomen ad nos, qui non sumus Dij per naturam, sed per gratiam.

Deus est Deitatis formaliter Deus: Filius autem filiatione formaliter est Filius, & proprietate originis est Deus, & Filius, si autem est natura Deus, hoc erit proprietate originis, quia oriendo, & nascendo communicatur sibi natura diuina.

Aegid.super iij.Sent.

Dub. V. Litteralis.

VLTERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur: *Christum esse filium Virginis natura, & gratia.* Sed contra . Naturā, & gratia ex opposito diuiduntur: ergo si Christus est filius Virginis per gratiam, non est Virginis filius per naturam.

BPrēterea. Christus est filius matris, sicut quilibet alius homo est filius suæ matris: sed alij homines non sunt filii suarum matrum per gratiam: ergo nec Christus.

DICENDVM, quod nomine Christi intelligitur persona, quæ sit Deus, & homo, iuxta illud: *Eft ergo fides recta, vt credamus, & confitemur, quod Christus Dei Filius, Deus, & homo est.* Dicemus ergo, quod Christum nasci ex Matre in quantum hominem, non fuit gratiæ, sed naturæ, sicut & alij homines ex **His** matribus naturaliter nascuntur: sed Christum nasci ex Matre simul Deum, & hominem, fuit gratiæ, & naturæ. Naturæ quidem in quantū Christus homo fuit natus ex Matre homine, id est ex Maria Virgine. Gratia vero in quantum ex Matre, quæ erat tantum homo, vel pure homo fuit natus Christus, qui erat simul Deus, & homo; fuit enim hoc non gratiæ adoptionis, sed gratiæ unionis, quia illa humanitas, quam accepit ex Matre fuit unita per gratiam unionis in unitatem personæ Verbi, quod erat verus Deus, vt eadem persona Dei Verbi haberet in se Deitatem, per quam esset Deus, accipiendo eam à Patre, & humanitatem, per quam esset homo, accipiendo eam ex Matre. Propter quod, licet hoc esset naturæ, & naturaliter, quod Christus homo, ex Matre esset homo, hoc tamen fuit non solum naturæ, sed gratiæ unionis, quod esset simul Deus, & homo, per hoc patet solutio ad secundum.

Ad primum autem dicendum, quod gratia, & natura in hac materia, in qua loquimur, non sic opponuntur, quin Christus, vt homo sit natura ex Matre homo, & Christus, vt Deus, sit ex Matre homo per gratiam unionis. Per naturam ergo

Quomodo
Christus sit
filius Virgi-
nis naturæ,
& gratia.

Christus na-
scit ex Ma-
tre vt homi-
nē fuit na-
turæ: nasci
verò vt De-
um, & homi-
nem fuit
gratiæ.

Gratia, &
natura re-
spectu filia-
tionis Chri-
sti non op-
ponuntur.

simul utrumque Christus ut Deus, & homo est per naturam, & per gratiam unius, per naturam, ut homo, per gratiam, ut Deus.

Dub. VI. Litteralis.

LITERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur de Christo: *Ille nunquam fuit non filius*. Sed videtur, quod in Christo ex hoc, licet differat a nobis, quia nascimur filii irae per naturam, & ex hoc sumus aliquando non filii, tamen non differat ab Angelis: quia nunquam fuerunt natura filii irae, & potissimum videtur non differre ab Angelis, si ponantur Angeli creati in gratia, quia hoc posito nunquam fuerunt Angeli non filii.

DICENDVM, quod per hoc dicatum, quod Christus fuit nunquam non filius, differt a nobis, & differt ab Angelis: aliter tamen, & aliter, quia a nobis

Homines prius temporie; Angelis prius natura fierunt non filii, quia filii ex adoptione, cui debent haereditas eternae,

differt etiam tempore, cum enim nascimur natura filii irae, etiam tempore prius sumus non filii, quam filii: sed ab Angelis differt etiam ponendo eos creatos in gratia. Nam hoc posito, et si tempore non fuerint Angeli prius non filii, quam filii, loquendo de filiatione, cui debetur haereditas; namque nulli purae creature debetur haereditas divina per naturam, sed per gratiam. Cum ergo naturaliter loquendo prius sit illud, quod debetur alicui per naturam, & postea sit illud, quod debetur eidem per gratiam additam naturam, ideo, et si non tempore, natura tamen, ponendo Angelos creatos in gratia, prius fuerunt non filii, quam filii. Et si dicatur, quod haereditas divina debeatur Christo per gratiam. Respondemus, quod ei debetur per gratiam unionis in persona: Et quia filiatione competit personae potius quam naturae, cum illa persona nunquam fuerit non filius, quia est vere Deus, bene dictum est de Christo, quod nunquam fuit non filius: Id autem non vere dictum est de Angelo, quia nec ratione personae, nec ratione naturae competit Angelo, quod sic filius, & heres Dei.

PARS III.

Dub. VII. Litteralis.

LITERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur: *Non talis hic filius*. videtur ergo, quod filatio dicatur aequinoce.

DICENDVM, quod cum filatio reperiatur in diuinis, & in Creaturis, nec dicitur pure vniuocè, sed analogicè, sicut, & alia, quæ reperiuntur in Deo, & in creaturis. Magnitudo enim reperitur in Deo sine quantitate, iuxta illud Augustini 5. de Trinit. cap. I, *Intelligamus Deum sine quantitate magnum*. Magnitudo ergo in Deo est ipsa diuina substantia, sed in creaturis maxime corporalibus est ipsa quantitas, & quia creatura, quantum potest, imitatur suum Creatorem, magnitudo hic, & ibi, non est pure vniuocè, nec pure aequinoce, sed per quandam imitationem erit analogicè: & quod dictum est de magnitudine, veritatem habet de Filio.

D. P. Aug. 5.
de Trip. c. 1

Nestorij error in littera Magistri refellitur.

Dub. VIII. Litteralis.

LITERIVS autem dubitatur de eo, quod in littera dicitur de Christo: *Est Filius origine, non adoptione*. Ad quid potest hoc deseruire?

DICENDVM, quod hoc potest deseruire ad repellendum errorem Nestorij, ponentis in Christo duas personas. Nam si sunt in Christo duas personæ, quilibet illarum non potest esse Dei Filius naturalis, quia tunc esset in Deitate quaternitas; ergo est contra Nestorium, quod in littera dicitur. Christus est Dei Filius origine, non adoptione,

Dub.

Dub. IX. Lateralis.

VLTERIVS autem dubitatur de eo, quod in litera dicitur: *Christus est Dei Filius veritate, non nuncupatione: ad quid potest hoc deseruire?*

DICENDVM, quod hoc deseruit contra errorem Sabellij, qui confusit personas, secundum quem modum loquendi, Pater non esset Pater secundum rem, & veritatem, secundum quem modum Pater differt à Filio, non re absoluta, sed re relata. Secundum ergo Sabellium confundentem personas, Pater esset Pater, non secundum veritatem, sed nuncupatione, & quod dictum est de Patre, veritatem habet de alijs Personis.

Dub. X. Litteralis.

VLTERIVS dubitatur de eo, quod in litera dicitur de Christo: *Est Dei Filius nativitate, non creatione. ad quid potest hoc deseruire?*

DICENDVM, quod hoc deseruit contra errorem Arrij, quia sicut Sabellius confusit personas; sic Arrius divisiit substantiam, & posuit Filium puram, creaturam, & ideo contra vtrumque dicitur in Symbolo: *Neque confundentes personas, supple ut fecit Sabellius: neque substantiam separantes, supple ut fecit Arrius.* Secundum Arrium ergo esset filius non nativitate, sed creatione.

DISTINCTIO XI.

SOLO ET autem queri, &c. Hæc 11. distinctio, & sequens 12. diuisæ fuerunt contra distinctiones decimam, numer expositam. Nam in distinctione decima Magister agebat de Chri-

A sto homine, quantum ad ea, quæ pertinent ad dignitatem: personalitas enim, adoptio, & prædestinatio, de quibus tribus agebatur in decima distinctione, ad dignitatem pertinent. Et licet adoptio in Christo non pertineat ad dignitatem, quia non est dignitas in Christo, quod esset filius adoptionis: tamen ipsa adoptio secundum se magnæ dignitatis est. Namq; magnæ dignitatis est esse Dei Filium adoptiuum, licet maioris dignitatis sit esse Dei Filium naturalem, quam filiationem consequutus est homo Christus per gratiam unionis. Sed in hac 11. & 12. distinctione determinat Magister, & mouet quæstiones de Christo Dei Filio quantum ad ea, quæ important defectum. Circa quod duo facit, quia primò mouet quæstiones de Christo Dei Filio, quantum ad hunc defectum, qui est esse creatura. Vtrum sit concedendum simpliciter, & absolute, Christum Dei Filium esse creaturam. Secundo determinat de Christo homine quantum ad hunc defectum, qui est incipere esse, & non semper esse, & querit. Vtrum ille homo coepit esse, vel semper fuerit, ibi, post predicta, in principio 12. distinctionis.

Prima pars est presentis lectionis, & distinctionis, quæ item diuiditur in partes duas, quia primò mouet questionē prefatam. Vtrum simpliciter debeat concedi, & dici Christum esse factū, vel creatum, vel creaturam. Secundo respondet ad questionem propositam. Dicendum, quod hoc non est simpliciter concedendum, quod Christus Dei Filius sit factus, vel creatura, sed potest concedi non simpliciter addita quadam determinatione, videlicet, quod est factus homo, vel quod est creatura in quantum homo, & si inueniatur aliquando hoc esse concessum simpliciter, fuit concessum causa breuitatis: tamen semper intelligenda est ista concessio, cum quadam determinatione, videlicet, quod Christus Dei Filius est factus, & est creatura in quantum homo. Secunda ibi: *ad quod dici potest?* Quæ pars, vel quæ responsio cùm sit duplex, adhuc diuiditur in partes duas, quia primò prosequitur hanc partem, quod non est concedendum simpliciter, Christum Dei Filium suisse factum, vel esse creaturam. Secun-

Quomodo possit ea concedi Christum suisse factum, & dici creaturam.

Concedentes Christum
simpliciter
fuisse crea-
turam inci-
dunt in Ar-
rij perfidiam

cundò prosequitur partem aliam , ibi. Sed A addita determinatione . Circa primù tria facit , quia primò facit , quod dictum est , ostendens hoc uon esse concedendum simpliciter. Secundò ad hoc determinandum adducit multas authoritates Augustini . Tertio ostendit , quòd simpliciter concedentes Christum esse creaturam , incidunt in perfidiam Arrij , ponentis Christum esse simpliciter creaturam . Secunda ibi , quia , ut ait Augustinus . Tertia ibi , Arrij hanc fuisse perfidiam .

Tunc sequitur alia pars , sed addita determinatione . In qua prosequitur quæstionem quantum ad eam partem , videlicet : Potest rectè dici , Christum Dei Filiū esse factum , cum hac determinatione , secundum carnem , vel cum determinatione , secundum hominem , ut fieri attribuatur humaniti , non Deo . Circa quod tria facit , quia primò facit , quod dictum est ; Secundò quod dixerat , corroborat per autoritatem Ambrosij . Tertiò ex dictis concludit veritatem intentam . Secunda ibi : ut enim ait Ambrosius . Tertia ibi : ex his euidenter traditur . Circa quod duo facit , quia primò epilogat ut dictum est . C Secundò ; quod dixerat confirmat per Ambrosium ibi : ut Ambrosius ait . Et in hoc terminatur sententia presentis lectionis , & distinctionis .

DISTINCTIONIS X I.

Q VAE S T I O PRIMA
PRINCIPALIS.

De consequentibus unionem quantum ad ea , quæ conueniunt Christo secundum esse , et) predicari .



V I A Magister in littera de duobus querit principaliter . Primò , Vtrum hoc sit concedendum , simpliciter , & absolutè , Dei Filium , scilicet Christum , esse creaturam .

P A R S I.

Secundò . Vtrum sit concedendum cum hac determinatione , secundum quod homo . Ideo de his duobus principaliter quæremus .

Circa primum quæruntur duo .

Primum . Vtrum sit concedendum simpliciter , Dei Filium esse creaturam .

Secundum . Vtrum hoc sit concedendum simpliciter , Christus est creatura .

A R T I C . I.

Vtrum hoc sit concedendum : Dei Filius est creatura . Conclusio est negativa .

D.Thom.3.p.q.16. Arg.3.sent.d.11.q.1.art.1.



D primum sic proceditur . Videtur , quòd hæc proposi-
tio sit concedenda simpliciter , Dei Fi-
lius est creatura . Nam dicitur Eccl.
24. Ab initio , & an- Eccl. c.24.

te secula creata sum , & loquitur de Dei sapientia , sed Dei Filius est Dei virtus , & sapientia , ergo Dei Filius est creatura , cum dicat Dei Sapientia ab initio se esse creatam .

Præterea . Quicquid est minus Deo est creatura : sed Dei Filius dicit se minorem Patrem , iuxta illud Ioannis 14. Pater ma- Iо.с.14.

D 15. Tunc & ipse Filius subiectus erit ei , id est Patri , qui subiecit sibi omnia : ergo &c .

Præterea . Sic se habent actiones ad iniucem , sicut termini actionum . sed crea-
tio est quædam actio Dei , cuius terminus
est esse , iuxta illud 4. Prop. de causis : Pri-
mum rerum creaturarum est esse . cum er-
go esse sit terminus creationis , quicquid
habet esse ab aliquo , debet dici creatura ,
sed Filius habet esse à Patre : ergo &c .

Præterea . Probat Auicenna 6. cap. Met. suæ : illud , quod est necesse esse , non habet esse . sed Filius habet esse ab alio , quia

Autor de
caus.4.pro.

Auic. 6. c.
Met.

quia habet esse à Patre: ergo non est necessarie esse, & per consequens est creatura.

D. Chrys. & omnes Graeci Doctores. Præterea. Omne, quod habet causam sui esse est creatura: sed Filius habet causam sui esse, quia Chrysostomus, & omnes Graeci Doctores concedunt communiter Patrem esse causam Filii: ergo.

Præterea. Omne, quod gignitur, non semper est, quia si semper esset, frustrè gigneretur, cum ad hoc gignatur ut sit: sed Filius à Patre gignitur: ergo &c.

Præterea. Omne, quod habet esse ab alio, de se non habet illud esse: sed hæc est conditio creaturæ, ut non habeat de se esse, sed ab alio: ergo Dei Filius, qui habet esse à Patre, est creatura.

